

Quid vitæ rectrix Prudentia? qua sine recte

Nil fieri; non urbs, non domus ulla queat
Stare diu, adversaque ictus evadere fortis.

Quidnam illæ, in numero quas numero eximias,

Ingentes, plenas virtutes æthere ab alto

Ingerit humanis mentibus alma Charis,

Terrenamque aufert labem, similesque Deorum

Esse dat? innitens queis animus humilem

Naturam supra cœli petit impiger arces,

Jamque Deo cupide se magis, atque magis

Mente avida totum jungit, verique, bonique

Notitias prima combibit e scatebra:

Inde hominum visit cœtus, vitæque magister

Vera docet, sancit justa: ducem populi

Hunc sibi certatim cupiunt adsciscere, cunctos

Qui regat imperio, consilioque juvet.

O felix, talem si qua est gens naæta, regendum

Seque dedit! quamvis Afričus, & Boreas,

Ventorum Æoliis & quidquid prodit ab antris

Sæpe ratem undoso jaëtet in Oceano

Ah pavidam! ah sc opulo allidi, frangique timentem!

Ille tamen forti pectore trans tumidos

Jaëtatam fluctus ducet, clavumque tenebit,

Dum steruat facilem lenior aura viam.

Felix quæ talem naæta est, jam naæta. Profari

Parce alia, & vocem supreme, Calliope,

Officio ne jam pecces, ne nomine presso

Quem laudas, certis proditus indicis

Noscatur jam vir. Nam quamvis mitior agno est,

Aut agno si quid mitius esse potest,

Dicitur irasci torvus, nec parcere voci,

Si quis forte aliquam viderit, ac populo

Monstrarit laudum, celari quas cupit ipse

Nequidquam multo lumine conspicuas.